EPICEDIA
Honori & Felici Memoriæ

VIRI,

PIETATE, VIRTUTE, ET LITERIS NON MINUS, QVAM SPLENDORE GENERIS, ET HONORIB., ORNATISSIMI;

DN. HENRICI MOCHINGERI,

ASSESSORIS JUDICII TERRESTRIS CULMENSIS, CONSULISQVE THORUNIENSIS DESIDERATISSIMI;

9 Qvi
Proprid. Non. Febr. Hoc Anno temporiùs quidem, ut nobis videtur, sed placidè in Christo mortalitatis est solutus nexibus;
dicta
â
Docentibus in Gymnasio Thoruniensi. 1617

Æschylus de Amphiarao.

NON TAM VIDERI QVAM BONUS VIR ESSE VULT
ACTO PROFUNDE SULCO VIRTUTEM COLENS.

Excudebat Thorunii
AUGUSTINUS FERBER
ANNO M. DC. XVII. 1617

LESSUS AD VIDUAM ET FRATRES DEFUNCTI.

SIccine Natalem post tam sollemniter actum
Emortualis imminet rectà dies?
Illaq; votorum nubes ita densa piorum
Majoris esse non valebit ponderis?
O miras variasq; vices! ô vota caduca!
Quid volvis ac revolvis humanum genus?
Discite Mardonii vos, discite, nosse, Cleones,
Longas nec incohate frustra speculas.
Si pius, & vestris intactus moribus, Heros
Ætatis est in flore subitò mortuus:
Quid vobis terræ portentis deniq; fiet,
Et architectis omnis infortunii?
More quidem vulgi si rem puto, non ita Vobis
Parca, & gregi vestro, diurnare invidet:
Sed plerumq; tagace manu decerpere gaudet,
Ut quidq; longâ est dignius vitâ frui.
Vulgus at ut vulgo sapiat, mihi turpiter errat,
(Adscriptus esse fugio glebæ morio)
Serius & citius capulis ferale minutis
Pondus piûm æquè ac impiorum conditur.
Hoc tamen est inter, virtutum mors quod inanis,
Obrussa quarum est in DEum simplex Fides,
Flenda venit: sed non urgendum est fletibus illos,
Mors ipsa quos cœlo & novâ vitâ beat.
Hoc Tu, dejecta es quæ tam felice Marito,
Simonideas contineto lacrymas:

Vos etiam quos stirps eadem produxit Eodem
Expectorate quicquid ægrimoniæ est.
Ipse ego, cum primus rumor percelleret aurem,
MOCHINGER ille CONSUL ævum finiit,
Guttatim lacrymas, lacrymasq; per ora ruebam,
Et tertiatis mœstus hiscebam sonis:
At simul ista meam tangit meditatio mentem,
Hoc quod videtis cunq; Musæ protraho.
Sin humana juvant quoq; vos solatia: præsto
Sunt illa. Vixit omnium rerum satur,
Quas Virtus parit, & Sortis clementia donat
Id deerat unum ut interesset cœtui
Longiùs humano; sed deposito neq; cœlum
Suo carere sustinebat amplius
Terra capax tanti nec muneris esse studebat.
HENRICUS hoc MOCHINGER occidit modo.
Sic ergo bene natalem sollenniter actum
Emortualis insequi dies potest,
Votorumq; seges densissima pondus habere
Spem præter hominis pondus exactissimum.

CUNRADUS Graser Gymn. Rector fundeb.

ALIUD CARMEN.

MOrta quid insultas! Falcem cur latiùs urges?
Demetis & nostræ cur anxia pabula vitæ?
Cur gladium stringis spissæ Trux atra phalangis?
Scilicet hæc nostræ meritò sunt præmia culpæ.

MOCHINGERUS obît. quid! obît? quid quæris, Amynta?
Sic est. MOCHINGERUS abît; quem fausta TORUNA
Excepit puerum; coluit juvenem; venerata

Patria,

Patria, cui NESTOR, CONSUL, BURGGRABIUS. Hujus
Paruit ad fasces ultro Respublica quondam.

Nunc lugent omnes. Non lugent qui bene sani
Perplacidâ cupiunt requie requiescere PATREM.
Nos deceat cunctos prægnans Oratio CHRISTI,
Ut culpæ veniam concedat, crimine solvat,
Solvere qui solus potis est solusq; ligare.

Morta quid insultas? sistet Tibi, carcere clauso
Ipse gradum CHRISTUS, funestam ponito Falcem.

M. BASILIUS Zölner Conr.

ALIUD.

HAnc ardens vivâ lychnus sub imagine vitam
Pingit; nos memores mortis & esse jubet.
Vita brevis miseris Mortalibus, hora morandi
Heîc brevis, & nunquam pôst reditura, data est.
Hæc quia curta nimis, sanctè traducere cunctos
Nos decet, in cœlis quos manet alma salus.
Lychnus ut, in stuppâ pingui dum concipit ignem,
Ardet, & eximiæ munera lucis habet:
Exhilarat multos, tenebræ quos noctis opacæ
Perturbant, dum lux omnis in orbe silet.
Sic etiam, quando vitales aspicit auras
Natus homo, accenso lumine lætus ovat:
Flammula blanda ignis nativi pinguia lambit
Pabula, Naturæ pinguia dona suæ:
Humor is est pinguis, sine quo calor ille benignus,
Qui vitam hanc fragilem sustinet, esse nequit.
Arida ceu pingui stuppa est imbuta liquore,
Quem flamma assiduè lambit editq; vorax:
Humani pinguis sic partes corporis humor
Siccas, terrestres obsidet atq; replet;
Quem cum Spiritibus vis ignis blanda cohærens
Molliter & lentè dissipat, urit, edit.
Tamq; diu miseri mortales vivere possunt,
Humida dum Calido pabula sufficiunt.

Humida sed quando Calido jam pabula desunt;
Vita omnis Calido deficiente cadit.
Non secus ac lychno cum stuppa absumpta oleumq; est,
Ignis abit, gratæ lucis honorq; perit.
Utilis hic nostræ Naturæ aptissimus Humor
Humores pravos degeneresq; capit;
Qui se permiscent, pariuntq; in corpore Morbos,
Quos ardor sequitur perniciesq; gravis.
Hos Medica Humores pravos ars concoquit, aufert,
Separat, Humorem purificatq; bonum:
Non secus ac lychno fungos cum demimus atros,
Qui lucem obscurant præpediuntq; jubar.
Ceu lychnus lucens aliis absumitur ipse:
Nos prodesse aliis funus ad usq; decet.
Sic lychno assimilis vita est. Clarissime Consul,
Et lychno similis sic tua vita fuit.
Natus in hunc Mundum, clarisq; parentibus ortus
Luxisti Generis lucida stella tui.
Lustrasti Juvenis peregrinas impiger oras,
Ut Patriæ posses commodus esse tuæ.
Inde domum rediens nituisti luce decorâ
Inter præstantes conspicuosq; viros,
Qui Patres Patriæ dicti, Patriam quia sanis
Consiliisq; fovent, auxiliisq; juvant.
Et dum sic aliis servis, absumeris ipse.
Felix qui patriam funus adusq, juvat.
Semper honos nomenq; ejus, laudesq; manebunt;
Posteritati illas Fama loquetur anus.
Non Calidum Humori mistum Natura creavit
Tantùm, dum vitæ munere functus eras:
Gratia dîa tuam ast oleo quoq; lampada pingui
Replevit, flammas imposuitq; sacras.
Inde Fide amplexus fueras pia vulnera CHRISTI,
E quibus effluxit nobilis ille cruor,
Qui nos peccati fœdatos sordibus atris
Abluit, & justos efficit ante DEUM.
Sicq; Fide lotus, lotus quoq; Sanguine CHRISTI,
Virtutum varia luce coruscus eras;

Quas Vigor ille Dei, Fidei qui munera donat,
In fidis profert, elicit eq; Fide:
Hoc oleum Fidei servavit ad ultima vitæ
Jam momenta tuæ Spiritus ille DEI.
Idem divini flammas servavit amoris
In te, quas suevit gignere sancta Fides.
Nunc igitur luces in cœlo, Sol ubi CHRISTUS
Justiciæ radiis omnia viva facit.
Discutit & tenebras secretæ à corpore mentis,
Quam refovet plenâ Cognitione DEI.
Læte hospes CœLo LVX CLara, HenrICe MoChInger,
Ante DEUM æternos vive, valeq; dies.

M. ADAMUS Freitagius Mœroris & honoris ergò F.

ERgo iterum ad Funus, nobis sollemnia Fata,
Imus, & in lachrymas solvimus ora graves,
Ergo tot, & tragicis nondum saturata triumphis,
Irruit in sanctum mors inimica gregem?
Imus, & ô quantis singultibus interruptos
Nos iterare facit sors inopina sonos;
Imus, & in lâchrymas oculis redeuntibus, undâ
Inficimus mæstas albicolore genas!
Nempe Mochingerus (sed quis? Mea Musa tacebit;
Fama Torunensi dicat in urbe) jacet!
Et jacet (Ah quam te mors immitissima dicam?)
Incohat ut vitæ floridioris iter:
Et jacet, augustam dum spe meliore Torunam
Sustentare suis nititur auxiliis.
Quisquis es, & tanti non te scintilla doloris
Pectoris aut latebras permovet ulla tui.
Ah nimis in duro conclusos pectore sensus
Gestas, estq; truci cor feritate tibi.
Ille quidem, virtus cui sese mancipat, & qui
Non obtusa suo pectore corda gerit.
Tam subitò casu, tam vulnere motus acerbo,
Signa gravis luctus sat manifesta dabit.
At vos qui rupto synceri fædere amoris
Ducitis in nostris gaudia mille malis.
Ne tam præcipiti mentem stimulate furore,
Ut libeat mœsto dicere probra gregi.
Idem nempe DEUS quâ mittere vulnera dextrâ
Consuevit; medicam ferre paratus opem est.

JOHANNES Thamnitius Gym. patrii Coll. delarandi
mœroris ergò adposuit.

ALIUD.

QVÆ meditata fuit suavißima carmina Tædis
SIMONIS SCHULFI plebs studiosa, gemit:
Quæ sibi plaudebat spectata Corona Senatus,
De tam conspicuis nobilitate viris,
Nunc obitum luget præstantis CONSULIS, heu sors
Aspera quæ cogis tam fera tela pati!
Fundite nunc lacrymas querulasq́ʒ ciete querelas,
MOCHINGERIADUM quos pius urget Amor
Eheu quàm verbum verax! Homo flosculus agri
Dum viret, omne viget, dum ruit, omne fuit.
Scilicet hos stimulos Mortis sentire merebant
Ingenitæ labis semina Terrigenas!
Res miseranda quidem! quid tum? sub Principe Christo,
Qui bene funus agit, nobile fœnus agit.
Sic est. Parce DEUS stimulos immittere plures,
Qui jugulent dignos posteritate viros:
Quin pote conserva reliquos ad tempora sera,
Sumat ut augmentum Curia, Templa, Scholæ.
Sic sensim nostros poteris sopire dolores,
Quos tanti peperit Mors inopina viri.
At vos interea Salvete valeteqʒ Manes
Defuncti, requies quêis super astra datur.
Donec ad adventum Christi cum corpore (suavi
Quod tellus gremio suscipit atqʒ fovet)
Rursus conjuncti, subeatis gaudia vitæ,
Gaudia quæ nemo scit, neqʒ scire potest:
Quæ non auditûs aut visûs organa quondam
Gustârunt, sed quæ vult dare IHOVA piis.
Quæ sine lætitiæ numero, sine fine manebunt,
Et quêis nos in spem biblia sacra beant.

FRANCISCUS Rothardus Mülh. Thur.

MOCHINGERIADÆ, Præclari funera Fratris
Defletis, gemitus, atqʒ illætabile murmur
Fundentes: lugete Virum: lamenta dolori
Sufficiant. nostræ mors invida sustulit Urbi
Patronum, si non mors invida sustulit Orbi.
MOCHINGERIADÆ, lugete hæc funera Fratris.
Nemo vetat Fratres in luctus largiùs ire,

Cùm

Cum Frater tumulatur humo. Natura ministrat
Hîc lachrymas, qui non affectus exsuit omnes,
Insita terrigenis nunquam conamina culpat.
Nec soli chari defletis funera Fratris,
Vobiscum lugent alii, sua pectora palmis
Plangentes; licèt hos fortuna removit ab ictu
Longiùs hoc: bonus hîc lacrymatur scilicet omnis.
Ducere ferales lessus, rogo, quis catus author
Nollet eos, fato quos sanguinis arctior usus
Defuncto junxit? non proximitate ferire
Iste dolor quenquam majori posset: in auras
Vitæ vos eadem Mater produxit; & ægris
Nolletis Fratris funus, deflere querelis?
Ut tamen hîc illud: Fato defungitur omnis
Quisquis adit vitam: non fas excludere mortem:
Quod perpendatis solerti indagine mentis,
Quisq; videre queat; sic impertite querelâ
Omnimodâ Fratrem. Stadium fatale cucurrit:
Dum vixit, vixit Christo: moritur quoq; Christo.
Grandis amor cari capitis, Triga Optima, grandis,
Non sit amor cari capitis, flagrantior æquo.
Impia gens luget; luget Christjana; sed illa
In luctu nullum didicit servare tenorem;
Hanc defunctorum fatum moderatiùs urit.

MARTINUS Hesperus.

MOrs sua sceptra tenet toti communia mundo:
Nil curat, vegetos decrepitosq; rapit.
æHc nitidas Regum turres illo ped e pulsat,
Quo pulsare humiles suevit amara casas.
Nec tua respexit, MOCHINGER, splendida tecta,
Sed secuit membra hæc mors violenta tua.
O mors quàm tacitâ rapuisti tetrica plantâ
Quem juvit Pietas, integra Vita, Fides.
Téne nihil mores exculti, copia & artis
Nil te Relligio mors truculenta movet?
Scilicet in cunctos sævis mors tetra beatos,
Nulli tu parcis: nam tua sceptra tenes.
Sed benè: non rapuit totum violentia mortis
MOCHINGERIADEN, optima quæq; manent.
Candida eum celso Pietas ornavit Olympo:
Vitæ dexteritas hîc superesse jubet.

JACOBUS Langius Pann.